

# DISPUTATIO IN PUBLICVM INGOL<sup>ST</sup>

STUDII PROPOSITA. ANNO POST  
Ch: Nat: M. D. LIII.

Presidente M. Sebastiano Reisachero ac respondentibus Ioanne Aurpachio,  
Georgio Chunio.

## De Magia pronuntiatum primum.



RINCIPIO distinguimus, ac separamus Magiam à Goetia quæ nunc uulgo Necromantia, à quibusdam etiam ineptius Nigromantia uocatur, quam Picus apud Modernos in usu fuisse dicit) quæ, quoniam cum malis dæmonibus cōmercium habet, & paciscitur, magisq; ad hominum perniciem, quām utilitatem spectat, meritò & legibus prohibetur, & ab omnibus bonis repudiatur.

### II.

Magia uero ars est, seu peritia quædam agendi, non per communes, & uulgatas natūre uires, & qualitates, sed per rerum efficaciam peculiarem, & occultiorem.

### III.

Quæ quidem generatim ferè continetur in sympathia, & antipathia quadam rerum uel inter se ipsarum, uel ad stellas, uel ad animam mundi, uel ad genios naturæ rerum præsides, uel contra malos quocq; dæmones.

### IV.

Et bellè quidem Magi dicuntur maritare mundum: quod uires occultas in mundo uariè dispersas, masculi & foeminei quasi sexus inter se per Magicas iuγγας copulant, atq; iungant, & inde tanq; ex seminibus suos fortus, fructus, & effectus eliciat.

### V.

Instrumenta uero Magi sunt non solum elementa, lapides, metalla, arbores, animaltes, harumq; partes & membra, sed etiam colores, odores, figuræ, characteres, numeri, soni, uoces, orationes, item cogitationes, uisa, persuasiones, & quædam huius generis etiam alia fortasse.

### VI.

Voces singulas nihil ex instituto, & consensu hominum significantes plus in Magia ualere, quām significantes nobis una cum Pico probabile uidetur: Propterea quod quælibet vox in Magia efficaciam habeat, quatenus Dei uoce, ut idem in conclusionibus suis loqui solet, formatur.

### VII.

His de Magia pronunciatis quanquam clarissimi, doctissimiq; uiri, Ioannes Picus Mirandula, Ioannes Reuchlinus, Theophrastus Paracelsus, Marsilius Ficinus, Ioannes Tritemius, Cornelius Agrippa, Albertus magnus, & ex ueteribus Zoroaster, Mercurius Trismegistus, Pythagoras, Democritus, Iamblichus, Proclus, Porphyrius, & tota Cabalistarum schola apertè assentiantur, nec obscure sacræ literæ, sancti patres multis & exemplis, & testimonij ea comprobent, tamen nos ea quidem non tam affirmamus, quām an affirmari debeat, & ad disputandum proponimus, & exquirendo cognoscere studemus, & ueriore sententiam, firmioresq; rationes afferenti non solum libenter cedemus, sed maximas quoque gratias agemus.

## Physica pronuntiata de fortuna. I.

Aristoteles quidem fortunam causam esse dicit per accidens, nos tamen id uerum esse negamus.

### II.

Nullam enim omnino causam per accidens rectè dici affirmamus, propterea quod omnia, quæ aliquid efficiunt, aut agunt, quatenus id agunt, ea ipsa id agunt, & per se, suaq; ui, non per accidens, aut uim alienam.

### III.

Deinde in hoc quoq; reprehendimus Aristoteles, quod fortunam tantummodo effectorum non propositorum, aut expectatorum causam esse dicant, cum perspicuum sit fortunam in bello quoq; ludo aleæ, & alijs multis actionibus dominari: etiam si hoc in illis eveniat, quod expectatum, desideratumq; fuerit.

### IV.

Quare fortunam sic definiendā putamus, ut sit eventus aliquis aut inopinatus, aut non certò expectandus ante, quām euenerit, efficiens rem aliquam utilem, aut dannosam. Hoc enim postremo distinguitur à casu.

## Dialectica pronuntiata de Syllogismo.

Syllogismum dicimus estimationem esse quandam, ac collationem duarum rerum ad tertiam aliquam, unde, quam dux illæ inter se conuenientiam habeant, aut disscrepantiam, iudicetur.

### V.

Hac estimationi facultate homines maximè à beluis discernuntur, quantumq; de hac alicui diminutum est, tanto ille bestiæ similius est: Vt, qui syllogismum nullū confidere possit, pro homine ferè haberī non debeat.

### VI.

Omnis autem argumentandi formas syllogismi species esse affirmamus; ac inductionem quidem, & exemplum syllogismos imperfectos appellamus.

## Ethica pronuntiata I.

Perinde ut si membra alicuius in corpore humano auulsio reliqui totius corporis, quod peritum esset aliás, in columnatatem afferret, id non auelli iniquum esset; ita, si publica salus ex interitu alicuius hominis penderet, eum pro patria mori non laudabile solum, sed æquum etiam omnino censemus.

### VII.

Ac uir sapiens, qui multam utilitatem Reipub: atq; hominum societati, si in uita remaneat, afferre possit, si ob eam causam aliquid alteri homini inertii, atq; inutili detraheret, iuste id illum facturum, unà cum Cicerone lib:3, de offici: existimamus.

87

A. 1553.

МОИ МУЖИ